

Praefatio.

Edimus fabulas tragicorum Graecorum principis temporum iniuria pessime habitas non ut emendationis periculum faciamus, cui operi imparem me esse ingenue fateor, sed ut exemplum proponamus eorum usibus accommodatum, quorum interest rerum veritatem intueri nec fucata verborum specie et delectari et decipi, quam nostra aetate peperit licenter grassata effrenata quorundam interpolandi libido: quale exemplum non solum a me ipso desiderari, sed etiam aliis multis acceptum fore pro comperto habeo. Id autem ut apte esset adornatum, non potuit carere nec codicis lectionum notatione nec veteris commentarii apparatu nec succincta eorum indicatione, quae in tanta corruptelarum multitudine adhuc a viris doctis artis legibus obsecutis aut certa aut probabili ratione sunt emendata.

Codicis antiquissimi, e quo exempla recentiora ad unum omnia derivata esse, quamquam sunt qui negent, mihi tamen extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur, codicis igitur Laurentiani scripturas in adnotatione memoravi omnes, quae alicuius momenti esse viderentur, neglectis multis primae manus erroribus, quibus nihil auctoritatis tribuendum est prae secundae manus correctionibus, quippe quas factas esse plerasque ad fidem exempli propositi denuo accuratius collati persuasum habeam. Commentarium, quem in codicis marginibus adscripsit manus secunda, una cum glossis eiusdem manus interlinearibus subieci integrum, omissa futilissima illa adnotationum farragine, quibus eum et ampliavit et depravavit